

*circa ea, quae homini simpliciter bona vel mala sunt.* Hanc descriptionem explicare nolumus, quippe quae ex prudentiae definitione jam ad oculum patet.

§. 28. *Stultitia* describitur, quod sit habitus non recta seu corrupta cum ratione activus circa ea, quae homini bona sunt & mala. Haec olim infames fuere *Thraeces*, quorum tanta fertur vecordia, ut ultra quatuor numerare non potuerint; cum viderent, Ducem suum plurimas scalas fabricare, quibus minabatur, se ad Junonem ascensurum, illosque accusaturum, metu percussit ea, quae imperabat fecerunt, *Theat Zuing.* Talis etiam *Achæus* fuit, *Callicôn* cognomento, qui fictile vas pulvinaris loco capiti supponebat. Verum quia duritie illius offendebatur, paleis implevit, ut mollius haberet cubile, *Eustath. odyss.* Talis & iste fuit, qui cum noctu morderetur à pulicibus, candellam extinxit, putans ab iis se amplius videri non posse, referente *Gilbert. Cogn. l. 1. Narr.* Plura exempla congeffit *Heiderus* in *Phil M. p. 2.* quem si lubet, evolvas. Nobis hæc pluribus persequi non licet, manum ergò de tabula. DEO Ter O. M. cujus alma prudentia mentis nostrae cymbulam in hujus mundi vasto & procelloso pelago benignè gubernare dignetur.

SIT GLORIA SEMPER,

---

*Alacris, expediti & Eruditi Ingenii*

VIRO JUVENI

DN. JOHANNI TOBIÆ *Zim Hoff*

Phil. & SS. Theol. Cultori Perstrenuo,

*Dr. Auditori, Fautori & Amico suo valde dilecto*

S.

**T**U *Prudens prudenter* agis, dum discutis ore  
Virtutem, quae Te damna cavere docet.

*Boni Ominis ergo apposuit*

M. Johannes Christophorus *Hundes-*  
*hagen*/Fac. Phil. Adjunctus.

*Hundes-*